



# ARNOLDVS VESALIENSIS CANDIDO

LECTORI S. D.



Nre annos quatuor, lector candidissime, Macrobiū nostrō auctario locupletatum, & qualibuscunq; annotationibus illustratum, euulgauimus. Doluimus aliquandiu uicem tantī autoris, tamque in omni eruditionis genere præstantis; mirifici quidem, citra omnem controuersiam, in cœlestium orbium numero, ordine & concentu explicando; præcipuī in Platonica doctrinæ prodendis mysteriis, in sacrorum ratione tradenda anxii, in poëtarū obtectoribus locis & enodandis gryphis accurati, in iis denique uniuersis, quæ uel ad naturæ lasciuientis prodigium, uel ad humani ingenii otiosam diligentiam pertinent, nusquam non circumpecti & seduli. Doluimus, inquam, uehementer eum autorē adeo corruptum, adeo lacerum, adeo aliena & ignota penula obsitum circumferri. Nempe in quo aliquot etiam mendorum myriades lectorem offenderent, terrerent innumerabiles lacunæ, ac interim nulla uerborum consona structura, nullus sententiarum mutuus consensus inueniretur. De quo erant qui dicere non uererentur, præstare, uel penitus esse abolitum, quàm cum facie usque eò putida & obsoleta superstitem, ab indoctis hominibus uellicari, arrodī, contemni. Expectauimus complusculis annis Aristarchū quempiam, aut Varum saltem, uel Tuccam, qui huic autori obeliscis atque asteriscis consuleret. Post ubi nemo prodiit, perlustrauius aliquot bibliothecas non uulgares, rati nos uetustum codicem reperturos, qui expectationi nostræ satisfaceret, ac conatui suffragaretur. Quæ res cum nos quoque fefellisset, decreuimus quod ille ait, *πρόνοια* *ἀργυροπία* superare, quod alioqui nulla externa ope poterat euinci. Subodorati sumus autoris genuinam dictionem, atque totius orationis telam semel ac iterum percurrimus; ut uel hac uia, quasi per oculos quosdā cuniculos elapsi, obuia mendarum monstra, partim elocutionis simulacro, partim dictionis applausu, partim sententiæ confinio expugnaremus. Cœpimus primū immēsos illos lacus Græcanicæ faraginis, ueluti appositis quibusdam incrustamentis opplere. Quod cum non omnino (ut speramus) infeliciter cessit, collibuit & cætera, quæ limā expectabant, nostro penicillo explorare, ac qualemqualem nitorem reddere autori, iam multis seculis neglecto & pene extincto. Quam sanè operulam nostram, quantulacunque erat, eo tandem consilio edidimus: Principio, ut sicubi forte uetustū exemplar delitesceret, diutino situ iam squalens, & in tinearum blattarumq; prædam abiectum, nostro labore exuscitaretur, emittereturq; in nostram, omniumq; studiosorum cōmoditatem. Deinde ut doctos etiam uiros, quorum nostra ætas feracissima est, in idem certamen, pium mehercule, & honestum euocaremus; quatenus illi scilicet cū reliquis mendarū portentis, quibus autor noster miserè discerptus inhorrescit, congregarentur. Tot enim diris portentis, hinc orationis filum perrumpentibus, inde euastantibus sententiarum moles, soli reformidauimus occurrere. Subiit crebro mentem nostram, quod Copreus apud Euripidem ait, *μίας χειρὸς ἀδενής μάχη*. Putauimus etiam tot mōstris abolendis, non Bellerophontem aliquem satis esse, aut Persea, quamuis Pallados ægida & Harpen Mercuriū obtendat, sed esse opus hercule, qui subinde succrescenti

Aa ii